ORDINIS IVRIDICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
IO. GODOFRED. KRAVS, D.
INSTIT. IMPERIAL. P. P. CVRIAE PROVINCIALIS, SCABINATVS ET FACVLTATIS IVRID. VITEMBERGENSIS, VT ET IVDICII INFERIORIS LVSATIAE ASSESSOR

LECTORIBVS OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMIS

S. P. D.

Quae pro iudicis fide ac integritate militat praeſumtio, magna eſt. Non enim, niſi temeritatis reprehenſioni locus ſit, pro ſuſpecto haberi debet, tum, quod fides eius ac induſtria publice electa, tum, quod ſuſcipiens officia ac partes iudicis ab initio ſtatim grauiſſimo iurisiurandi uinculo ſolet adſtringi. Qua de cauſa ipſi iura tribuunt boni uiri praedicatum, de eoque M. TVLLIVS CICERO pro Cluent. ſcribit: *iudicis ſapientis eſſe, ſemper uerum ſequi, habere in conſilio fidem, religionem, aequitatem: libidinem autem, inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere, maximi aeſtimare conſcientiam, quem oderit, abſoluere, quem non oderit, condemnare, et ſemper, non quae uelit ipſe, ſed quid lex et religio cogat, cogitare, eorumque omnium ſe DEVM habere teſtem, cui adminiſtrationis reddenda ſit ratio.* Tantum uero abeſt, quanta quanta etiam iudicis cenſeatur fides ac integritas, ut omni eam exceptione maiorem putemus, ut potius nuda eandem niti iuris praeſumtione, quae probatione contrarii infirmari, refellique poſſit, ſtatuamus. Quid enim? quotidiana experientia, rerum omnium magiſtra, docet, minime raro a iudice negligi par-

tes officii, prauis peruerſisque affectibus indulgeri, huic uel illi litigantium ſiniſtra iuſtitiae adminiſtratione damnum inferri irreparabile, ut ex mente Pontificis *in cap. 5. X. de Except.* omnino grauiſſimum pariter ac ſumme periculoſum ſit, iudicem habere ſuſpectum, utpote cuius facto haud raro fit, ut locum inueniat tritum illud, leges uidelicet, quae in cathedra ſunt uirgines, in foro fieri meretrices, dum conſtuprantur malignis a iudicibus. Quae cum ita ſint, contra naturalem aequitatem neutiquam litigantes agere putamus, ſi iudicem huius farinae remoueri a cauſa, remque alii, huiuscemodi naeuis carenti, demandari, mediis congruis licitisque quaerunt ac rogitant. Nec eſt, quod hic inter iudicem ordinarium ac delegatum diſtinguas, quam diſtinctionem haud pauci Doctorum, ut SICHARD. *ad L. apertiſſimi C. de Iudic. n. 7.* ZANGER *de Except. P. 2. C. 4. n. 8. et 9.* GAIL. *L. I. Obſ. 33. n. 1.* DN. BOEHMER *Iur. Eccleſ. Proteſt. L. I. Tit. 29. §. 22. et L. 2 Tit. 2. §. 71.* Iuri ciuili tribuunt, eamque ob rem prouocant, tum ad *L. 16. et 18. C. de Iudiciis*, ubi tantum Iudicis delegati fit mentio, tum ad *Nouellam 86. c. 2.* et inde deſumtam *Auth. ſi uero contigerit C. de iudic.* ex iis probaturi, iudicem ordinarium iure ciuili, ut prorſus remoueatur, recuſari non poſſe, ſed eidem iungendum eſſe alium, ut hoc pacto amborum induſtria principalis controuerſia amicabiliter componatur, aut, cognitione facta, dirimatur. Namque generalis ratio, quae in *L. 16. C. de Iudic.* occurrit, lites ſcilicet omnes ſine ſuſpicione abſolui debere, non minus ad ordinarium, quam delegatum iudicem referri et applicari poteſt, quin imo ordinarium iudicem aeque tanquam ſuſpectum recuſari poſſe, ſatis perſpicue innuit ICtus CAIVS in

L. 9.

L. 9. pr. ff. de lib. causa, iunct. L. 2. C. de pedan. iudic. quibus non repugnant Leges in contrarium adductae. Licet enim in *L. 16. et 18. C. de Iudic.* delegati solum iudicis fiat mentio, minime tamen propterea ordinarius iudex excluditur, partim, quod unius positio non statim est alterius exclusio, partim, quod potius a maiori ad minus inde sumere licet argumentum. Si enim iudex, imperiali rescripto ad hanc uel illam causam delegatus, propter suspicionem recusari potest, multo magis iudex ordinarius, qui ad hanc uel illam causam non in specie est approbatus, ideoque in eo minor dubitandi ratio subest, recusari poterit. Adde, quod leges Codicis stricte sint interpretandae, nec a casu ad casum extendendae. Quae uero ex *Nouella 86. Cap. 2.* et *Auth. si uero contigerit C. de iudic.* sunt adducta, ea saltem consilium continent, qua scilicet ratione quis suspectum iudicium quodammodo euitare possit, ne propter eiusmodi causam a patria propria recedere cogatur. Quum uero a patria recedere propria, ipsumque principem quis uelit compellare, sequitur non immerito, iudicem recusari posse, monente ARVMAEO *Disp. ad Pand. 7. n. 10. add.* DONELL. *L. 17. C. 25. in fin.* et, qui in eum commentatus est, OSWALDVS HILLIGER *sub lit. Q.* BACHOV. ad TREVTLER. *Vol. I. Disp. 12. Th. II. lit. b.* PEREZ. *ad C. Tit. de Iudic. n. 23.* Nec distinctionem inter iudicem ordinarium ac delegatum hoc intuitu Ius Canonicum agnoscit, sed iudicem ordinarium ac delegatum aeque ob iustas ac sufficientes suspicionum causas recusari posse, patet ex *C. 10. X. de foro compet. C. 5. X. de except. C. 41. et 61. in fin. X. de appellat. C. 15. C. 3. Qu. 5. Cap. 18. X. de Iudic. C. 39. X. de offic. et pot. iud. deleg. Cap. 4. eod. in 6to.* Id uero facile

cile damus, caute in recuſatione iudicis, tanquam ſuſpecti, agendum eſſe, nec ex nudo litigantium arbitrio eam admittendam, tum, quod iudex per eiusmodi recuſationem macula quadam notatur, eiusque famae detrahitur, cum tamen eius auctoritas in iis, quae ad eius officium ſpectant, non labefactanda, ſed, ſi fieri poteſt, ab omni ſuſpicione liberanda, tum, quod litigantes, rebus diffiſi ſuis, ſub recuſatione iudicis, tanquam ſuſpecti, ſaepe moras ac protelationes litis quaerunt. Quapropter recuſatio non eſt admittenda, niſi recuſans iuſtas grauesque ſuſpicionis cauſas allegare, easque ſufficienter probare ualeat. Haec uero probatio cum ſaepe ſine periculo ac ſumma difficultate fieri non poſſit, ius, potiſſimum Canonicum, in *Cap. XI. de reſcript. in 6to* iuramentum perhorreſcentiae introduxit, ut is, qui iudicem tanquam ſuſpectum recuſaturus eſt, hoc iureiurando aſſeueret, ſe dubitare, fore, ut ab hoc iudice aequam ac incorruptam iuſtitiae adminiſtrationem impetret, quo praeſtito deinde ab omni ulteriori probatione cauſarum, propter quas ſuſpectum cenſet iudicem, liberatur. De indole ac natura huius iuramenti ut multa diſſeramus, non opus eſſe uidetur, propterea quod Nobiliſſimus atque Clariſſimus Candidatus noſter DN. HENRICVS BROKES in diſſertatione ſua inaugurali, quam pro obtinendis ſummis in utroque iure honoribus ac priuilegiis doctoralibus proprio Marte conſcripſit, de eo ſatis ſuperque egit. Qua de cauſa potius ad curriculum uitae, quam hucdum laudabiliter transegit, nos conuertimus, Lectorumque oculis recenſionem eius, quemadmodum ipſe depinxit, ſiſtimus, ſic uero fluunt uerba:

Ego

Ego HENRICVS BROKES 1706. d. 15. Aug. circa horam octauam uespertinam in Libera Imperiali Ciuitate LVBECA uitam ingressus, et d. 17. Aug. in Aedibus Marianis salubri tinctus unda, in gremium Ecclesiae Lutheranae sum receptus. Patrem ueneror DN. IOANNEM BROKES, Hereditarium in Krempelsdorff et I. U. Doctorem celeberrimum, cuius uitam delineauit Io. HENR. a SEELEN in Athenis Lubec. P. III. p. 5. matrem uero, cuius, e uita mihi iam 1721 d. 7. Octobr. ereptae, cineres summa pietate exosculor, colui AGNETAM SOPHIAM, ex stirpe GVTZMERIANA oriundam. Auum paternum IOANNEM BROKES, Mercatorem Lubecensis Reip. et Potentiss. Reg. Dan. Institorem, uulgo Factor; auiam maternam AGNETAM, filiam CHRISTIANI HASENKRVGS, Mercatoris Lubecensis, agnoui. Proauus paternus HANS BROKES, Mercator Lubecensis; proauia materna CATHARINA BREMENS fuerunt. Abauum nomino HENRICVM BROKES, Senatorem primum, et deinceps Reip. Lubecensis Consulem, legati munere non raro functum, cum nomine Reip. Lubecensis ad PHILIPPVM III. Regem Hispaniae, qui eidem auream catenam, peracto colloquio, dono dedit, ad HENRICVM IV. Regem Galliae, ad IACOBVM II. Regem Angliae, ad ALBERTVM, Archiducem, in Belgio commorantem, ad IOHANNEM CASIMIRVM, Ducem Saxoniae, nec non MAVRITIVM, Landgrauium Hassiae, qui duo HENRICVM aurea effigie ornabant, missus fuerit. Conf. Io. HENR. a SEELEN Athen. Lubec. Part. I. p. 115. Ceterum hic HENRICVS inter alios fratres habuit OTTONEM BROKES, Consulem Reip. Lubecensis, et HANS BROKES, a quo celeberrimus ille Poeta, DN. BARTHOLDVS HENRICVS BROKES, I. V. Licentiatus et modernus Reip. Hamburgensis Senator, quem DEVS in commodum Reip. diu seruet, descendit. Abauia paterna audit MAGDALENA, filia BEREND. a LÜNEBVRG et MARGARETHAE a BRÖMSEN. Ataui et atauiae locum IOANNES BROKES, Senator, classis Praefectus

et

et tandem Conſul Reip. Lubecenſis, et CATHARINA KÖHNEN, Mercatoris filia, occupant. Quales uirtute ac dignitate fuerunt aſcendentes paterni, tales etiam materni exstiterunt. Sic Auum maternum Dn. IOANNEM GEORGIVM GVTZMERVM, ICtum, Sereniſſimi Ducis Megapolitani Conſiliarium intimum, et Reip. Lubecenſis Syndicum primarium; Auiam maternam AGNETAM SOPHIAM, filiam Dn. ALBERTI WILLEBRANDI, ICti et Codicis in Academia Roſtochienſi Prof. Ordin. ſaluto. Proaui et proauiae maternae ordinem Dn. Io. SIMON GVTZMER, ICtus, Sereniſſimi Electoris Brandenburgici FRIDERICI WILHELMI Conſiliarius Prouincialis in Ducatu Pomeraniae ulteriori, ciuitatisque Stargardienſis Conſul et Syndicus, nec non ANNA REGINA, filia Dn. GEORGII HAGEMEISTERI, Senatoris Roſtochienſis, ſibi uindicant. Reliquos maiores, quibus ſummo iure accenſeri meretur THOMAS FRIDENHAGEN, Senator quondam Reip. Lubecenſis, Auctor marmorei Altaris, in templo Mariano conſpicui, obque ſummam, qua nitet, praeſtantiam cum paucis comparandi, praetereo. Horum omnium ueſtigiis, quae mihi, ingenue fateor, maximum uirtutis calcar per totum uitae tempus addiderunt, inhaeſurus, miram diſcendi famem, ab ipſis incunabulis exortam, aſſiduo labore ſtudui explere. Teſtes huius rei ſunt omnes illi, quorum curae ac inſtitutioni ſum traditus. Simulac enim prima litterarum fundamenta delibauerim, ulteriorem curam in ſe ſuſcepit Dn. IOANNES EMS, S. S. Theologiae Cultor indefeſſus, qui ſingulari docendi facilitate, quam nunquam ſatis praedico, me adeo erudiuit, ut a B. Dn. ENOCHO SVANTENIO, Rectore Gymnaſii Lubecenſis, dignus haberer, qui tertiae claſſis membrum fierem. Hinc factum, ut B. Dn. Rector me 1717. prima poſt Feſtum Paſchatos ſeptimana in nominatam claſſem publice introduceret. Introductus eo magis ſemel coepto curſui inſiſtebam, quo magis fideliſſima inſtitutione Dn. HENRICI SIVERS, Cantoris Gymnaſii Lubecenſis celeberrimi, maiores quotidie ſenſi progreſſus. Maiores progreſſus maiores excipiebant honores. Contingebat illud, cum 1718. circa Feſtum Paſchatos, mode-

moderante Dn. IO. HENR. a SEELEN, S. S. Theologiae Licentiato et Gymnasii Lubecensis Rectore meritissimo, secundae classis alumnorum catalogo fuerim insertus. Haec classis me, publica Dn. MARTINI CHRISTIANI GOELDELII, Philosophiae Magistri et Gymnasii Lubecensis Con-Rectoris, et priuata Dn. ZACHARIAE STAMPELII, Gymnasii Lubecensis Sub-Rectoris et Bibliothecarii, institutione usum, per biennium fouit. Elapso biennio circa festum Paschatos laudatus Dn. Rector in primam classem me recepit, in qua per integrum quinquennium non modo fidelissimam Dn. Con-Rectoris et Dn. Sub-Rectoris institutionem retinui, sed et insuper ab ore Dn. Rectoris pependi, maximam, qua pollet, docendi agilitatem plus uice simplici miratus, inprimis, si ipsius publicis in Logicam, priuatis in Dn. *Rechenbergii* Lineamenta Philosophiae Moralis et Ciuilis, et priuatissimis in *Schraderi* Tabulas Chronologicas meditationibus interfuerim. Mos est in eadem Classe, ut singulis septimanis duo ex superioribus Ciuibus solennes Orationes, proprio Marte elaboratas, publice recitent. Horum ordini 1724. circa Festum Paschatos adiunctus, de utilitate Poëseos contra *Henr. Corn. Agrippam de uanitate artium ac scientiarum*, de iustitia et clementia, primariis Principum uirtutibus, de licito *Virginii*, filiam suam interficientis, homicidio, occasione *Liuii* L. III. c. 44.-49. de socialitate pro rostris publice disserui. Cum litteris humanioribus studium Iuridicum tunc temporis combinandum curaui, ne ad altiores profectus scholas terminorum Iuridicorum ignarus essem. Hinc non modo Venerandus Dn. PARENS me examinando probauit, sed et nominatus Dn. Sub-Rector, Iuris quondam Cultor acerrimus, *Hoppii* Examen Institutionum more suo i. e. docte ac solide mihi explicuit, eo laborans, ut distinctum terminorum conceptum formarem. Quid? quod petitis Generosissimi Dn. GOTTHARDI ab HÖVELN, Patricii Lubecensis, Amici integerrimi, studiorumque aemulatoris satisfacturus, priuatissimas Dn. BRUNNERI, Iuris Practici, in Institutionalem textum scholas adiuerim. Tandem 1725. post Festum Paschatos Candidatus Gymnasii Lubecensis factus,

 utile

utile iudicaui, in Academiis ſtudia proſequi. Hoc fine 1725. d. 21. Iun. Carmine Heroico, Vitam Per-Illuſtris Dn. HENR. de COCCEII, ICti, Potentiſſ. Reg. Boruſſ. ac Elect. Brandenb. Conſiliar. intimi, Facultatis Iuridicae in Academ. Viadrina Ordinarii, Senioris ac Profeſſ. Primarii ſiſtente, Gymnaſio Lubecenſi omnibusque eius Praeceptoribus ultimum uale publice acclamaui. Regulas decori uiolarem, ſi aſſiduitatis ſcholaſticae uitaeque integritatis proprius eſſem teſtis. Prouoco potius inter alios ad Dn. MARTINVM CHRISTIANVM GOELDELIVM, in Carmine gratulatorio, poſt habitam orationem Valedictoriam mihi oblato, his uerbis utentem:

BROKESI noſtri non ultima gloria Pindi,
Muſarum ſpes atque decus, noſtraeque leuamen
Mentis, et egregiae flos incorrupte iuuentae,
Dic agedum, quae? quanta ſitis iam pectus adurit
Iuſtitiae? quantis ardent praecordia uotis?
Si niſus canerem, decertatosque labores,
Et lectos libros, et Progymmaſmata cellis
Diſpertita ſuis, uaſti maris unda pateret,
Pulcraque laſſarent Clarios praeconia curſus.
Nempe Tuo poſuit pietas ſub pectore ſedem,
Accenditque uelut feruentia thura ſacello.

Quis

Quis prior in uestro cantus audire lyceo,
Ordirique preces, socius cum nullus adesset,
Sacraque deuoto peruoluere Biblia sensu?
Quo graue felici studium succederet astro,
Largiter et plenis segetem sponderet aristis.
Non Tibi fluxerunt lasciua per otia soles,
Sed labor ingenii uires exercuit omnes.
Iungere uerba suis rebus, cognoscere textum,
Exceptare notas calamis, componere carmen,
Sermonumque tropis uarias effingere formas,
Continuum uersare stilum, protrudere foetus,
Historiaeque uagos late decerpere flores.
Nec piguit graecam linguae sociare latinae,
Dulcius ex ipso cum carpere fonte Nouellas
Profit, et eois accendere lampada punctis.
Ornauit teneros adiuncta modestia mores:
Obsequium uiguit: nec enim monitoribus unquam
Asper eras, facili capiebas pharmaca labro. Etc.

Patrios penates 1725. d. 26 Iul. relinquens, ac Hamburgi per aliquod tempus in aedibus Dn. CHRISTIANI BROKES, Mercatoris et Camerarii Reip. Hamburgensis, ac Patrui multis nominibus colendi, quem DEVS sero ad astra deducat! commoratus, Musas Leucoreas 1725. d. 12. Aug. salutaui. Hic locus dulcissimus cum diuino quasi nutu electus esset, summo statim exultaui gaudio, simulac pedem in eodem figere licuerit. Aduenientem, et d. 14. Aug. 1725. Rectore Academiae Magnifico Viro Illustri Dn. Io. BALTHASARE de WERNHER, Potentiss. Reg. Pol. et Elect. Saxon. a Consiliis Aulae et Iustitiae, Consist. Ecclesiast. Directore et Ordinis Iuridici quondam Ordinario, iam Sacrae Caesareae Maiestatis in Senatu Imperii Aulico Consiliario, nec non Decano Spectabili Dn. Io. FRIDER. WEIDLERO I. V. D. et Mathem. Prof. Ord Ciuibus Academicis adscriptum, hospitio suo benigno excepit Dn. Io. CHRISTIANVS OERTELIVS, ICtus, Potentiss. Reg. Pol. et Elect. Saxon. redituum publicorum Procurator in Circulo Electorali, Sereniss. Principi Anhaltino-Dessauiensi a Consiliis Aulae ac Iustitiae, Curiae Prouinc. et Consistorii Aduocatus Ordinarius, nec non Senator splendidissimus, exceptumque per omne, quod Vitembergae uixi, tempus summo amore consiliisque saluberrimis fouit. Iam animus erat, se totum litteris consecrare, ac Philosophiae studium cum Iuridico coniungere. Hinc in Moralibus Dn. MARTINVM HASSEN, Moral. ac Ciuil. Prof. Ord. in Physicis Dn. SAMVELEM CHRISTIANVM HOLLMANNVM, Profess. Philos. Extraord. in Logicis ac Metaphysicis Dn FRIDERICVM PHILIPPVM SCHLOSSERVM, Facult. Philos. Assess. audiui Iuridicam disciplinam quod attinet, laudo et uehementer laudo fidelissimam Illustris Dn. Io. BALTHASARIS de WERNHER, S. Caesareae Mai. Consiliarii, Viri laude mea longe superioris, curam, in me erudiendo susceptam, cum integrum ipsius cursum Iuridicum, 1726. d. 25. Iun. inchoatum, assidue frequentauerim, publicisque in Ius Ecclesiasticum, ac priuatis in Compendium Iuris meditationibus, nec non priuatissimis dissertationibus, in quibus Generosissimus Dn. ERNESTVS ABRAHAMVS ab OSTER-

HAVSEN,

HAVSEN, Eques Mifsnicus, perpetui Refpondentis muncre fungebatur, interfuerim. Sane praefens experiebar, uera effe, quae olim abfens in Oratione Valedictoria hoc modo cecini:

Summus WERNHERVS, totius Leucoris almae
Lux, Phoebus, Cynofura, decus, laus, fplendor, ocellus,
Infignem ftudiis fibi conciliauit honorem.

Multum pariter debeo Dn. Jo. GODOFREDO KRAVSIO, Decano h.t. fpectabili, quem in Inftitutiones Iuftinianeas, in *Struuii* Syntagma Iurisprudentiae, in B. DN. MENCKENII Synopfin Pandectarum, in Tractationem Synopticam Proceffus Iudiciarii, ab ipfo editam, commentantem diligenter aufcultaui. Nec praetereo DN. GEBHARDVM CHRISTIANVM BASTINELLERVM, Dn. GODOFREDVM LVDOVICVM MENCKENIVM, Dn. IACOBVM CAROLVM SPENERVM, quorum lectionibus etiam non fine infigni fructu attentas praebui aures. Iuris Publici praecepta folide inculcauit Dn. DIETERICVS HERMANNVS KEMMERICH, Introductionem fuam ad Ius Publicum Imperii Romano-Germanici interpretatus. Audiui etiam Dn. Io. FRIDRICVM WERNHERVM, in Inftitutiones, *Struuii* Syntagma, *Ludouici* doctrinam Pandectarum, Dn. *Wernheri* Elementa Iuris Nat. et Gent. erudite differentem; audiui Dn. Io. HENRICVM ALBINVM, in Dn. *Grübneri* Principia Iurisprud. Naturalis et in *Strykii* Examen Iuris Feudalis meditationes fuas non ineleganter proponentem; audiui alios, qui animi fui fenfa mecum lubentiffime communicarunt. Veritates addifcere ftudui quidem, maior tamen cura fuit, comprehenfas ueritates, dubiae trutinae impofitas, examinare, examinatas contra quofcunque euerfuros defendere. Quocirca non bis, non ter, uel quater, fed centies fere, mentem difputando et pri-

 uatim

natim et publice exercui. Priuatim, cum non solum moderante Illustri Dn. de WERNHER, uti iam dixi, Dn. *Beyeri* Posit. Instit. decidente Dn. WERNHERO, Quaestiones *Hoppianas*, litem dirimente Dn. IVSTO GEORGIO CHLADENIO theses Boehmerianas uel in dubium uocauerim, uel propugnauerim, sed etiam priuatissimum colloquium disputatorium cum Dn. CHRISTIANO GOTTLIEBIO SEEBACHIO, I.V. Candidato celeberrimo, instituerim. Publice, cum in Auditorio Maiori theses, a Dn. HASSEN ex Synopsi erutas, sub ipsius praesidio saepissime defenderim, theses *Hanaccianas*, prouti plagae typis expressae indicant, a dubiis contra illas motis liberauerim, uariisque dissertationibus, tam Philosophicis, quam Iuridicis in conspectu publico me opposuerim. Tandem accessit Dissertatio Iuridica de Condictione Indebiti, iniqua Iudicis sententia absoluto et soluenti haud competente, a me elaborata, ac sub praesidio Illustris Dn. de WERNHER 1728. d. 29. Iun. habita. Peracto hoc specimine *Halam* Magdeburgicam 1728. d. 29. Iul. petii, Pro-Rectore Academiae Magnifico Dn. FRIDERICO HOFFMANNO, Consiliario Medico et Professore Regio, Comite Palatino Caesareo et Ordinis Medici Seniore d. 2. Aug. 1728. Ciuis illius Academiae factus. Protinus in Politicis B. Dn. CHRISTIANVM THOMASIVM, in Iure Ciuili et Canonico Dn. IVSTVM HENNINGIVM BOEHMERVM et Dn. IOANNEM LAVRENTIVM FLEISCHERVM, in Historia Imperiali et Iure Publico B. Dn. NICOL. HIERONYMVM GVNDLINGIVM audiui. Vtinam hocce institutum itidem fuisset maxime fortunatum, nulloque casu fatali interruptum! At enim uero placuit Summo uitae sanitatisque Auctori, me ipsum affligere febri aestiua scorbutica, tam rabida, tamque maligna, ut in omnibus arteriis ac uenis celerrimum sanguinis cursum sentiens, morti proximior, quam uitae fuerim, praesertim, cum sanguis impurus, ex crasso et impuro aëre attractus, pulmonum canales, (horresco referens,) ita obstruxerit, ut liberrima respirandi facultas penitus adimeretur. Elapso sex hebdomadum spatio, missis prius ad DEVM in aedibus sacris precibus, hactenus interrupta collegia salutabam. Sed maxima re-

remanebat imbecillitas, maximus ſanguinis curſus, maxima reſpirandi moleſtia, adeo, ut *Halam* 1729. d. 28. Ian. cum *Lipſia* commutare fuerim coactus. Ibi catalogo ciuium Academicorum Rectore Magnifico Dn. IOANNNE SCHMIDIO, P. P. Conſiſtorii Electoralis et Ducâlis Aſſeſſore, Collegii B. Mariae Virginis Praepoſito, Alumnorum Electoralium Ephoro, Academiae Decemuiro, eiusdemque, ut et Nationis Polonicae Seniore inſertus, ac, cum de methodo docendi, qua utuntur Viri peregregii Dn. MICHAEL HENRICVS GRIBNER, Dn. CAROLVS OTTO RECHENBERGIVS, Dn. GEORGIVS CHRISTIANVS GEBAVERVS, Dn. FRANCKENSTEINIVS, aliique, maxime ſollicitus fuerim, per aliquod tempus commoratus, tandem 1729. d. 13. Mart. Muſis Leucoreis ſum reſtitutus. Iam maxima ex parte propriis indulſi meditationibus, niſi, quod interdum eruditis Dn. AVGVSTINI LEYSERI, Potentiſſ. Reg. Polon. et El. Saxon. a Conſ. Aul. ac Iuſtitiae, Collegiorum, quae huc florent, Aſſeſſoris primarii, nec non Dn. GOTTLIEBII STVRMII colloquiis uſus fuerim. Inprimis animum ſimul ad praxin contuli, cum ſupra nominatus Dn. *Hoſpes*, in praxi uerſatiſſimus, hoc beneuolentiae ac humanitatis ſignum mihi exhibuerit, ut non ſolum acta perluſtrare, ſed et interdum ſpecimen quoddam ex iisdem conficere licuerit. Hiſce agitatus exercitiis, ſtudia mea celeberrimo ICtorum ordini obtuli, eo fine, ut iudicaret, an dignus eſſem, cui Doctorales Honores ac Priuilegia conferrentur. Sine mora ad primum ſcrutinium admiſſus Iuris Candidati titulum 1729. d. 20. Dec. obtinui. Sequebatur 1730. d. 13. Ian. examen, quod rigoroſum uocant, in quo c. 8. X. de conſangu. et aff. nec non l. 44. ff. de acqu. rer. dom. reſoluens, itidem ſic me exhibui, ut uiam ad habendam Inauguralem Diſſertationem laudatus Ordo patefaceret. Priusquam hic actus ſolennis perageretur, ex inſtituto Veterum in Auditorio Iuridico publicas habui lectiones, in quibus *actorem ab onere probandi in negatoria actione immunem eſſe*, iuſta docendi methodo demonſtraui. Nunc in publicum prodibo, eo fine, ut Diſſertationem *de Iuramento Perborreſcentiae, eiusdemque uſu practico*; proprio marte elaboratam, maſcule defendam. Vlterio-

Vlteriorem uitae curſum, mihi incognitum, unice diuino commiſi arbitrio, DEVM in omnibus caſibus, ſiue laeti fuerint, ſiue aduerſi, infucata pietate culturus.

Vltimum nunc ſpecimen proxime, futuro die Martis, die ſcilicet XXI. Februarii in Auditorio maiori edere, atque moderante Magnifico Dn. Ordinario noſtro, Viro Excellentiſſimo ac Conſultiſſimo Dn. AVGVSTINO LEYSERO, Potentiſſ. Pol. Reg. et Elect. Sax. a Conſiliis Aulae ac Iuſtitiae, ut et Conſiſtorii Eccleſ. Directore, Curiae Prouincialis ac Scabinatus Aſſeſſore grauiſſimo, Diſſertationem ſupra iam nominatam inauguralem contra oppugnantes defendere conſtituit, cui actui, ut Magnificus Academiae noſtrae Pro-Rector, illuſtrisſimus Comes, Perilluſtres Lib. Barones, Patres conſcripti, omnesque, qui noſtris ſtudiis bene cupiunt, celebritatem conciliare, ac ſua praeſentia ipſum cohoneſtare non dedignentur, eſt, quod ab ipſis ea, qua par eſt, obſeruantia, atque humanitate peto, contendoque. P. P. Vitembergae Dominica Quinquageſimae A. R. S. cIↄ Iↄ cc xxx.